

/ Ill/mo et R/mo Card/li Bellarmino.

Quanta fuerit (Card/lis Ill/me) humanitas et beneficentia tua, docuit a me cupitae et per te impetratae pontificiae clementiae et liberalitatis exitus. Rem per se difficilem et arduam justissima potentiae tuae pia vis in **proelivi** posuit, et quicquid donatum quantumcumque est, post paternam illam benignitatem tuae debetur charitati incredibili erga me incognitum et immeritum. Addis opportunam illam opitulationem, qua tu tandem in ordinem coegisti vafritiem artesque illas quibus S/mi D/ni N/ri munificentiam quidam decurtare **et** minuere tentabat. Quid tandem est in hoc negotio quod apertissima illa manus tua non mihi porrexerit? Facilis accessus tuus foelicem successum peperit; totum beneficium tibi deberi vere et ingenue agnosco, profiteor, scribo et subscribo. Sed haec accepti pagina per se stat, nec ulla per me expensi ratio contra posita videri potest, nec sperari. Tutius igitur aequiusque est ut me, meos meaque omnia in tam insignis muneris tui aliquantulam agnitionem tibi (piissime Ecclesiae Princeps) in perpetuum voveam, illudque rogatu meo sentiass quod certissime de eo statuere debes qui paucissimis diebus qui adhuc illi super sunt victurus moriturusque est.

20 Illustr/mae et R/mae D.V.

servus humill/us et obsequentiss/us

Johannes E. Gratianop/nus

Datum Lugduni pridie nonas Septembris

Anno salutis 1614.